

Quandoque etiam mitigatio pœnae in hoc delicto invenit locum; scilicet, si proditionis qualitas ita fuerit comparata, ut pro ratione circumstantiarum pœna illa invenire queat locum: fit autem mitigatio pœnae, si reus, antequam ejus corpus dissecatur, capite truncetur, & postea dissectio corporis subsequatur. Leviorem enim illam esse pœnam, quam si reus adhuc vivus in quatuor partes discindatur, uti cuivis intelligenti facile patebit; Ubi tamen (δ) *Cautio* adhibenda est, ne Judex temerè pœnam vel exasperet, vel mitiget; sed, si dubius fuerit, prius consilium Prudentum requirat, numquid illi pro ratione circumstantiarum pœnam vel augendam, vel mitigandam esse, arbitrati fuerint: ne scilicet Judicis vel parum considerati, vel affectibus dediti arbitrio committatur simpliciter, quod adhuc maturam Jurisperitorum consultationem & decisionem requirit.

(II) *Quinam ab hoc crimine ejusq; pœna sunt immunes.* Scilicet, qui Magistratui aut Judici dant operam tam in requirendis reis, quam in illis puniendis. Nam qui crimen defert Magistratui, ut illud vindicetur, cum primis si reipublicæ inter sit illud vindicari, is propterea non est proditor, nec in proditoris pœnam incurrit. Et licet noti sint, & publicè delictum istud prodant; tamen ne sic proditoris locum & pœnam intrant, utpote cum ipsi saltem reipublicæ saluti consulant, & proditores ad debitam iis pœnam infligendam Judici & Magistratui detegant.

ARTIC. CXXV.

Pœna incendiariorum dolosorum.

Straff der Brenner.

Bem / die boshaftigen / überwundenen Brenner / sollen mit dem Feuer vom Leben zum Tode gericht werden.

AD ARTICULUM CXXV.

ARGUMENTUM.

Incendiarii, qui dolosè alterius ades incendunt, & de hoc crimine convicti sunt, vivi sunt comburendi.

EXEGESIS.

Incendarios communiter distingvunt in famosos & simplices. *Famosos seu dolosos dicunt eos, qui vel mercede conducti, vel ab aliis emissi sunt: Vel etiam proprio motu ob inimicitias privatas tanquam* diffi-